

satorem; dummodo ex fraude et dolo, ut nempe accusatorem repellere possit, causam inimicitiae non dederit, prout bene advertit Abbas, in c. *Repelluntur*. 7, h. t. n. 5.

26. *Limitatur præcedens doctrina.* — Limitatur tota doctrina præced. num. in casu, quo quis accusat suum inimicum ob injuriam aut damnum sibi illatum; talis enim accusator, si repelleretur, nullus potest alterum ob grave vulnus v. g. cædem, aut injuriam sibi, suisve illatam accusare; cum ex hoc plerumque inimicitia oriatur, ut bene advertit Mascardus, de *Probat.* concl. 899, a num. 1, Menochius, de *Præsumpt.* lib. V, *Præsumpt.* 43.

27. *XI. Merito suspecti: et quinam hi? item specialiter pauperes et qui?* — XI. Ab accusando repelluntur propter suspicionem calumnie illi, qui aliquando falsum testimonium subornati dixerunt, l. *Alii* 9, h. t. Item qui semel calumniati sunt l. *Si cui* 7, § 3, h. t. Item qui pecuniam recepit, ut reum accusaret, aut ne ipsum accusaret, l. *Is qui* 4, et l. 8, ff. h. t. sicut etiam pauperes, qui minus, quam quinquaginta aureos in suis bonis habent, l. *Nonnulli* 40, ff. h. t. ibi: « Nonnulli propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent; » nisi tam honestæ essent vitæ, et bonæ famæ, ut ab omni suspicione merito censeantur liberi: tales enim pauperes sicut admittuntur ad ferendum testimonium juxta dicta lib. II, tit. XX, de *Testib.*, n. 100, ita etiam ad accusandum, prout bene advertit Menochius de *Arbitr. judic.* et praxis comprobatur. Quinam autem pauperes suspecti, vel a suspicione liberi habendi sint, judicis judicio relinquuntur, can. *Si qui*, can. *Quærendum*, 18, caus. 2, q. 1.

28. *XII. Infideles et hæretici nequeunt accusare christianum.* — XII. Ob suspicionem calumnie « pagani, hæretici, sive judæi non possunt christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre, » can. *Pagani*, 24, caus. 2, q. 7.

29. *XIII. Sanguine juncti et quinam?* — XIII. Ob conjunctionem sanguinis et reverentiam liberi accusare non possunt parentes, Novell. 115, cap. III, § 3. Nec e contra parentes, liberos, arg. l. 3, C. de *patris potest.* Nec fratres, aut sorores invicem, l. *Si magnam* 13, C. de *His qui accusare non possunt*. Nisi crimen sit leve l. *Si sororem* 18, C. eod. Nec liberti patronum, aut ejus hæredem, l. *Qui accusare* 8, ff. h. t.

30. *Omnes recensiti inhabiles accusare valent in certis criminibus et quibus?* — Hi tamen omnes (exceptis privatis ratione per dicta, n. 24, et excommunicatis, per dicta n. 24) si suam injuriam exequantur (id est, si contra injuriam simibet illatam agant) mortemve propinquorum defendant, ab accusatione non excluduntur, l. *Hi tamen* 11, ff. h. t. Item quando agitur de crimine læsæ majestatis, vel aliis atrocissimis, vel exceptis; qualia sunt, quæ directe sunt contra Deum, ut blasphemia, apostasia, hæresis, simonia, magia, sacrilegium; vel magis adversantur bono publico, ut crimen læsæ majestatis, rebellionis, latrocinii, falsæ monetæ, fraudatæ annonæ, falsi testamenti, etc. arg. l. 7 et 8, ff. ad *Leg. Jul. majest.* l. *Vix certis* ff. de *Judic.*, l. II et XIII, ff. h. t. c. VII, de *Simonia*, c. X, de *hæret.*, l. X, C. de *episc. et cler.*, etc., de quibus amplius vide lib. II, tit. XVII, de *Confess.* a num. 99, et canonistas. Solum nota clericos et religiosos etiam in his criminibus ad publicam vindictam et poenam sanguinis criminaliter accusare non posse, per dicta; sed si propria aut Ecclesiæ utilitas accusationem exigit, debere expresse protestari contra poenam sanguinis, juxta dicta supra num. 19, et textum expressum, c. 2 de *Homicid.*, in 6.

31. *Advertitur insuper Decian., Tract. crim., lib. III, cap. xxv, n. 6 et 8; Capitales inimicos etiam a criminum exemptorum accusatione esse repellendos; etsi enim reipublicæ maxime intersit, ne crimina ista excepta maneant impunita, eidem tamen non minus interest, ne quis injuste damnetur, quod facile fieret, si capitales inimici ad accusandum inimicum in criminibus præfatis admitterentur. Reliqua de inimicis vide supra n. 26 et 27.*

32. *Inhabilem potest judex nulla facta instantia ex officio repellere.* — Quæritur IV. An supra specificati ad accusandum inhabiles, ab accusatione repelli possint non tantum, si accusatus contra talem excipiat, sed etiam nemine excipiente ex solo officio judicis? Resp. affirmative c. 1, h. t. ubi universaliter traditur: « Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus. » Quod si tamen contra talem nec accusatus excipiat, nec judex illum repellat, valet processus; prout cum communi observat Clarus, § fin. q. 15, n. 4; Pirhing, h. t., n. 17.

Porro si reus contra accusatorem excipiat, debet id facere ante litis contestatio-

nem; quia si postea excipiat, Abbas in c. 1, l. 1, ff. de *Prescript.* § *Præscriptiones* ff. de *adult.* Nisi prius ignoravit, sibi competere exceptionem, ut bene ibidem limitat Abbas, arg. c. *Nulli de elect.* in 6.

33. *An et quando teneatur quis accusare criminaliter.* — Quæritur V. An, et quando quis obligetur ad accusandum? Resp. quamvis privatorum « nemo invitus agere, vel accusare cogatur » ut dicitur l. un. C. *Ut nemo invitus*; nihilominus, si crimen aliquod in grave damnum spirituale, aut temporale reipublicæ vergens, nec denuntiatione, nec monitione, nec alio modo, quam accusatione averti potest, tenetur privatus quoque, cum proprio etiam damno accusare; dummodo crimen probare valeat; ita communis cum sancto Thoma, 2, 2, q. 68, a. 1, can. *Quapropter* 47, cau. 2, q. 7, et ibi Glossa *Deferre*. Ratio est, quia quivis tenetur, si potest malum avertere, per jura allegata infra § 2, n. 106, et bonum privatum postponere bono publico, per vulgaria.

34. *Plures accusari nequeunt: vel uti I. Carentes usu rationis.* — Quæritur VI. Quinam possint accusari? Resp. Sicut non omnes accusare, sic non omnes accusari possunt. Patet inductione. Sic enim I, accusari nequeunt, qui ad delinquendum usu rationis carent, ut sunt infantes, furiosi, amentes, l. *Quod infans* 60, ff. de *rei vindicat.* l. *Infans* 12, ff. ad *Leg. Cornel. de Sicar.*

35. *Impuberes accusari et puniri valent, sed mitius.* — Aliud est de delictis illorum, qui usum rationis jam habent; hi enim, etsi adhuc minores, vel etiam impuberes sint, accusari et puniri possunt, poena tamen mitiori, habita ratione ætatis, et imprudentiæ, c. 1, de *Delictis puer.* l. *Auxilium* ff. de *Minoren.* et l. *Fere* ff. de *Reg. jur.* ibi: « Fere in omnibus pœnalibus Judiciis, et ætati, et imprudentiæ succurritur. »

36. *II. Absentes: limitatur tamen hæc doctrina.* — II. Accusari absentes non possunt cum effectu, ita ut contra illos fiat processus et feratur sententia can. 1, can. 2, q. 8, ibi: « Nec absente eo, quem accusare voluerit, cuilibet accusare permittatur, » l. 1, prin. ff. de *Requir. et absent. damn.* ibi: Rescriptum est, ne quis absens puniatur; et hoc jure utimur, ne absentes damnentur. » Ratio ibidem subjungitur illis verbis: « Neque enim inaudita causa quemquam damnari, æquitatis ratio patitur. » Potest tamen ab-

sens ad eum effectum accusari, ut a giudice legitime citatus l. 1, § 2, ff. eod. quo dein ad diem deputatus non comparent, anno-tantur, seu legaliter describuntur, obsignantur, et arrestantur, ejus bona, quæ habet, cit. l. 1, § 2. Etsi contumaciter non comparet: potest etiam puniri poena pecuniaria, infamiæ, ac relegationis, non item graviori poena capitis v. g. aut metalli, etc., textu expresso l. V, ff. de *Pœnis*, et c. *Veritatis* 8, de *dolo et contum.* Imo si citati intra annum, qui ad se defendendos eis conceditur l. I, ff. et C. de *requir. reis* non compareant, bona ejus arrestata fisco remanent, l. fin. ff. de *requir. vel absent. damn.* nisi contumaciam purgaverint, probando legitimum non comparendi impedimentum, arg. l. *Succurritur* 9, ff. *Ex quibus causis major.*

37. *III. Mortui in ordine ad puniendos hæredes.* — III. Accusari non potest Mortuus, l. fin. ff. ad *Reg. jul. majestat.* ubi ratio additur ibi: « Extinguitur enim crimen mortalitate. » Accedit, quod etiam delicta suos tantum tenere debeant auctores, per vulgaria. Unde nec accusatio, nec poena ad hæredes transit, etsi accusatio jam inchoata, et lis contestata, non tamen condemnatio secuta fuerit, l. *Ex judiciorum*, 20, ff. h. t. *Nisi forte quis majestatis* (læsæ) reus fuit; nam hoc crimine nisi a successoribus purgetur, hæreditas fisco vindicatur, » ut expresse statuitur cit. l. fin. ff. ad *Leg. jul. majest.* et cit. l. 20, ff. h. t.

38. *IV. Superiorem non agnoscentes, uti Papa, imperator, reges.* — IV. Accusari non possunt illi, qui superiorem se non agnoscent, uti Papa, c. *Nemo* 13, can. 9, q. 3, ibi: « Nemo judicabit primam Sedem. Neque enim ab augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque a populo judex judicabitur, » et can. *Aliorum* 14, can. *Facta* 15, eod. can. et q. ibi: « Facta subditorum judicantur a Nobis, nostra vero judicantur a Deo. » Item imperator, qui tamen civiliter accusari potest juxta *Bullam auream*, cap. v, § 3, ibi: « Imperator, sive rex Romanorum super causis, super quibus impeditus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram comite palatino Rheni sacri imperii archidapifero electore principe respondere. » Item reges superiorem non agnoscentes, uti sunt rex Galliæ, Hispaniæ, etc.

39. *V. Legati imperatoris.* — V. Durante officio « accusare non licet legatum impera-

toris, id est, præsidem provinciæ; item legatum provinciam, » l. *Hos accusare*, 12, ff. h. t. Tenetur tamen talis reus criminis cautionem præstare de iudicio sisti, finito aliquando officio, l. *Si adulterium* 38, § fin. ff. *ad Leg. jul. de Adulter.*

40. VI. *Qui crimen jam præscripserunt; quænam crimina, et quando præscribantur. Remissive.* — VI. Accusari non possunt, qui crimen, seu actionem, seu inquisitionem criminalem præscripserunt. Quo autem tempore crimina, et actiones criminales præscribantur, ita ut reus criminaliter accusari, inquiri, aut denuntiari non amplius possit, vide lib. II, tit. XXVI, *de Præscript.* a n. 174.

41. VII. *Absolutus a crimine, vel accusatione de illo crimine, nec ab eodem nec ab alio amplius accusare valet.* — VII. Qui de aliquo crimine jam absolutus, vel condemnatus est, de illo nec ab eodem, vel alio accusatore accusari potest, c. *de His* 6, h. t. ibi: « De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatus replicari. » Concordat l. *Licet*, ff. *Nautæ, caupones*, et l. *Sanctio*, 41, ff. *de Pœnis*. Ratio est, quia ab eodem delicto hominis sæpius quæri non debet, ut dicitur cit. l. *Licet*. Idque ad imitationem divinæ Clementiæ, quæ dimissa semel peccata, in ultionem redire non patitur, cau. *Si illic* 29, can. 23, q. 4.

42. *Limitatur tamen hæc doctrina in multis casibus.* — Limitatur tamen hæc doctrina I. si secundus accusator docet, priorem non fideliter egisse, sed prævaricatum fuisse l. III, § 1, ff. *de Prævaricat.*, l. *Si quis homicidii*, c. *de Accusat.* aut collusionem intercessisse, c. fin. h. t. Nam si hoc non liceret, facile possent duo colludere, et personam accusatoris assumens, falsas aut infirmas probationes adducere, verasque dissimulare, ut reus inde absolutus a nullo amplius accusari posset.

43. Limitatur II. Quando secundus accusator suam, vel suorum injuriam prosequitur, simulque docet, se ignorasse accusationem ab alio institutam, l. *Si cui*, 7, § 2, *de Accusat.* ubi ratio additur: « Quoniam res inter alios iudicatæ, aliis non præjudicant. »

44. Limitatur III. Si reus tantum est absolutus ab observatione iudicii; quia v. g. inhabilis erat accusator, aut ineptus libellus l. III, ff. h. t.

45. Limitatur IV. Si quis non per senten-

tiam, sed per viam transactionis fuit absolutus; tunc enim saltem ab alio denno accusari poterit, Clarus § fin. q. 57, n. 6; Abbas in c. *De his*, h. t., n. 3; Covarr., lib. II, *Var. resolut.*, cap. x, n. 1.

46. Limitatur V. Si quis fuit absolutus per viam exceptionis, quam reus excipiendo proponit contra aliquem, non ut puniatur, sed ut a testificando, vel accusando repellatur, Covarr., loc. cit., n. 5; Decian., *Tract. crimin.*, lib. III, cap. xxx, n. 2, in fine, et c. 2, *de Ordin. cognit.*

47. Limitatur VI. Si reus tantum est absolutus quoad forum internum; tunc enim in foro externo accusari et puniri omnino potest, Abbas, loc. cit., num. 3; Covarr. loc. cit., n. 3, cum communi et certa praxique recepta.

48. Limitatur VII. In criminibus mixti fori. Nam si quis in uno foro ecclesiastico v. g. absolvitur, vel condemnatur, potest adhuc in altero accusari et puniri; saltem si in priori foro pœna condigna non fuit imposita, Abbas in cit. c. *De his*, h. t. cum communi aliorum, arg. c. *Felicis*, 5, § *Per hoc quoque de Pœnis*, in 6. Ratio est, quia iudicatio ecclesiastica et secularis sunt prorsus separatæ ac distinctæ, adeoque sententia late in uno foro, non parit exceptionem in altero.

49. Dicitur notanter, « saltem si in priori foro pœna condigna non fuit imposita; » prout plerumque fit in foro ecclesiastico, utpote quod semper mitius punit, arg. can. *Admonere*, 8, can. 33, q. 2, vel non nisi pœnitentiam medicinalem, v. g. excommunicationem imponit. Si enim in uno foro pœna jam sufficiens et proportionata delicto fuit imposita, in alio foro accusari et puniri non amplius potest, Covarr., loc. cit.; Joan. Andreas in cit. c. *Felicis de Pœnis*, in 6; Abbas in c. *Tuæ de Procurat.*, textu speciali c. fin. *de Except.* in 6. Et per istam sublimitationem optime concordantur doctores.

Alias limitationes vide apud Covarruviam⁶ lib. II, *Var. resolut.*, cur. 10, per totum.

50. *Accusator oblato jam libello non amplius potest desistere ab accusatione.* — Quæritur VII. An possit desistere ab accusatione jam inchoata? Et quas pœnas desistens incurrat? Resp. I. Post litem contestatam, vel saltem post libellum iudici oblatum, accusator in foro externo accusationem impune deferre non potest, l. *In Senatusconsultum* 15, § 5, ff. *ad S. C. Turpil. et Auth.*

qui semel. C. *Quomodo et quando*, l. *Miles*, 11, § 3, ff. *ad Leg. Jul. de Adult.* Ratio est, quia interest reipublicæ, ne deseratur accusatio semel cœpta, sive vera sit, sive falsa. Si enim vera est, eam prosequi oportet, ne delicta maneant impunita; si falsa eam prosequi expedit, ut calumniator debite puniatur; ut bene advertit Valensis h. t., § 2, n. 8.

51. *Bene tamen ante libellum, si tantum minatus est accusationem.* — Resp. II. Ante libellum oblatum, licite, et impune quis desistit ab accusatione, etiamsi prius publice dixerit, se accusaturum. Imponitur tamen eidem perpetuum silentium, ita ut amplius de tali crimine reum accusare non possit, c. *Licet* 14, h. t., ubi Summarium sic habet: « Dicens, se aliquem accusaturum coram iudice, ante inscriptionem potest sine pœna desistere, et non accusare, sed ei desistenti imponitur silentium perpetuum. » Concordat cit. l. *Miles*, ff. *ad Leg. Jul. de Adulter.*, et l. *Miles*, 6, C. *de his, qui accusar.*

52. *Deprehendentes, se errasse accusando, veniunt in foro interno desistere.* — Resp. III. Si quis falso accusavit, vel bona fide quidem, deprehendit tamen, se errasse, et accusatum esse innocentem, vel incipiat dubitare, si facta diligenti inquisitione dubium perseverat, in foro interno non tantum potest, sed etiam tenetur desistere ab accusatione. Communis et certa ex tit. *de Calumn.* Ratio patet, quia alias calumniaretur. In foro externo tamen incurrit juris pœnas.

53. *Desistens puniatur in foro externo, et quomodo?* — Resp. IV. Ab accusatione criminis publici post oblatum libellum desistens tenetur ad expensas, l. *Qui crimen*, 3, C. *de His, qui accusar.* Incurrit infamiam, l. *Si pro eo*, 2, C. *de His, qui accus.* et pœnam librarum auri fisco restituendarum, l. *Prævaricationis*, 3, in fine ff. *de Prævaricat.* Si quis vero desistat ab accusatione criminis privati, pœnam extraordinariam iudicis arbitrio incurrit, l. *Si quis*, 7, § 1, ff. *ad S. C. Turpill.*

54. *Accusatione facta potest, et debet iudex formare processum.* — Quæritur VIII. Quinam sint effectus accusationis? seu quid operetur, et quas obligationes, favores, vel odia causet, tam respectu iudicis, quam respectu faccusatoris et accusati? Resp. I. Primus effectus respectu iudicis est, quod facta accusatione possit, ac etiam teneatur iudex incipere processum capiendi informationem,

citando reum, aliaque faciendo, quæ ad processum requiruntur, juxta d^{ca}nda patet conclusio in dicendis infra § seq. num. 125, ubi dicemus, teneri iudicem ad faciendum processum facta sibi denuntiatione iudiciali; ergo multo magis facta accusatione, utpote quæ fortior est illa.

55. *Potest insuper, et debet reum, etiam ante citationem carcerare, si est suspectus de fuga, aut si est periculum, ne subornet, vel impediatur testes.* — Alter effectus est; quod possit ac debeat reum, etiam ante citationem incarcerare custodia causa, si est suspectus de fuga, vel si merito timendum, ne testes subornet, impediatur, terreat, etc. juxta dicend^{um} infra § seq. n. 127.

56. *Accusator tenetur plene probare delictum: deficiens tenetur ad talionis et alias pœnas; a quibus subinde excusatur. Remissive.* — Resp. II. Effectus accusationis respectu accusatoris est; quod teneatur delictum, de quo accusavit, probare, probatione plena ac perfecta, et quæ sit luce meridiana clarior, uti expresse statuunt jura, l. fin. c. *de Accusat.* can. *Sciatis*, 2, can. 2, q. 8, ibi: « Sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis indicibus ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita. » Quod si non probet, ad pœnam talionis tenetur juxta dicta supra n. 10, 11 et 12, necnon ad alias, de quibus, tit. sequenti, *de Calumniatoribus*, a n. 6, ubi etiam dicemus, quandonam etiam deficiens in probatione excusetur a pœna talionis, et aliis.

Quid autem sit, et quando censeatur plena probatio haberi, vide lib. II, tit. XIX, *de Probationib.*

57. *Accusatio respectu accusati habet eosdem effectus, quos habet denuntiatio respectu denuntiati.* — Resp. III. Accusationis effectus ratione accusati sunt iidem cum effectibus denuntiationis iudicialis respectu denuntiati, de quibus vide infra § seq. n. 130.

§ II.

DE DENUNTIATIONIBUS.

58. *Definitur denuntiatio.* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit denuntiatio? Resp. I. « Denuntiatio est criminis alicujus delatio, seu manifestatio sine inscriptione apud superiorem legitime facta: » Ita in re commu-